Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quando humiles suos cum diuinitate et anima uisitauit in inferno.
Distribuit se. quando poni uoluit in monumentum. ut nec ibi saltem
deesset. sed iuxta aliorum corpora sanctorum requiesceret. diuinitate et
anima. presto fuit in inferno. ubi expectantes se quantum uolebant
et desiderabant duobus piscibus. id est presentia diuinitatis et sancte anime
sue impleuit et satiauit. Et bene de duobus piscibus distribuit quantum
uolebant. quia electi et sancti illi. abel. noe. moyses. abraham. et alii per
plures. qui diudum apud inferos christum expectauerant. nequaquam
ab initio seculi usque ad horam descensus illius ad inferos quod desideraue
rant acceperunt. sed tunc demum satiati sunt et acceperunt presente eo
in quantum uolebant. Sed autem impleti sunt. Impleti sunt omni bo
no. uiso eo in inferno. impleti sunt omni leticia agnito eo. quia
ut ipse ait. hec est uita eterna. ut cognoscant te solum deum. et quem
misisti ihesum christum. impleti sunt omni abundantia bonorum. et quando
eduxit eos ~~de inferno~~. de inferno in paradysum. de paradyso in
celum. Sed et uiui impleti sunt omni bono et gaudio. illi uidelicet speci
alius qui eum uidere et audire meruerunt. quibus ipse ait. beati ocu
li qui uident que uos uidetis. multi enim reges et prophete uoluerunt
uidere que uidetis et non uiderunt. et audire que auditis et non au
dierunt. impleti sunt omni suauitate et iocunditate. uidentes
eum resurrexisse a mortuis. impleti sunt et saturati sunt ineffabili
bono. quando post ascensionem eius mirifica et inaudita spiritus sancti dona
perceperunt. Sic et sic impletis. dixit eis. Colligite que superauerint
fragmenta ne pereant. Que et qualia panum istorum fragmenta fuerunt.
et ubi uel quando facta sunt. Fragmenta ista. sunt quinque dominici cor
poris uulnera. quibus ut ita dicam animam a corpore effregit. quando
clamans in cruce expirauit. De his fragmentis proprie dictum est supa
uerunt. quia per illa superatus est diabolus. tartara effracta. origi
nale peccatum deletum. ianua regni aperta. Que nimirum fragmenta
perissent. si ea apostoli toti mundo non insinuassent. Essemus enim quasi